25

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS
DE
PATIENTIA MEDICORVM

QVAM
CONSENSV ET AVTORITATE
GRATIOSI
ORDINIS MEDICI
IN
CELEBERRIMA VNIVERSITATE ALTDORFINA
PRO LICENTIA
SVMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORVM
LEGITIME IMPETRANDI
PVBLICE DEFENDET

CHRISTIANVS IACOBI
FALCOBVRGO-NEOMARCHICVS

AD D. IVNII A. O. R. MDCCXXIV.

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

PROOEMIUM.

VUlgaris equidem de Medicis obtinet opinio, quod ipſorummet omne officium conſiſtat in agendo, quatenus humanam valetudinem ſuppeditatis idoneis auxiliis integram conſervare, aut morbis labefactatam corrigere ac reparare ſatagunt. Hoc tametſi perſvaſum communiter ſit, atque ſic in alterutrum caſum agendo medicus artificem ſeſe præſtet, re vera tamen ſæpiuscule, ſalvo non ſolum, ſed prorſus exigente officio ſuo, deſiſtere aliquandiu ab agendo & pati aliquid cogitur. Et ſane haud minima prudentiæ medicæ pars eſſe mihi videtur, tempeſtiva non modo â libertate agendi remiſſio, ſed ipſa variarum, etiamſi moleſtarum rerum perpeſſio, ut non dubitem, inter præcipuas morales virtutes, quæ medicum decent atque ornant, referre PATIENTIAM. Cum vero multiplicem ipſius utilitatem & abſolutam ſæpe neceſſitatem perpendo, ſimul autem conſidero, quam facile & quam frequenter contra eandem, & ſub ſpecie ejus, ut alii homines, ſic medici ſeorſim peccare poſſint & ſoleant, operæ pretium facturum me exiſtimavi, ſi materiam iſtam paulo accuratius ediſſerendam, loco ſpeciminis inauguralis inſtituerem; Quod ut proſpere mihi cedat, divini Numinis auxilium ac benevoli Lectoris patientiam expeto.

§. I.

QVamvis nemini, aut in morum doctrina, aut in communi hominum vita leviter verſato obſcurum eſſe poſſit, qualem *patientiæ* nomine virtutem intelligam, & in applicatione ad officium medici examinare velim; Attamen quia cum aliis virtutibus multa magnaque illius exiſtit cognatio, & propterea facilis oritur confuſio, juvabit appoſitis *Tullii* ipſiusque ſummi Philoſophi verbis (a) definire *Patientiam*, quod ſit *rerum arduarum ac difficilium, honeſtatis aut utilitatis cauſa, voluntaria ac diuturna perpeſſio.* Differt autem, eodem dictitante auctore, (b) *Patientia* â fortitudine, quod hæc venientibus incommodis & malis obſtet, illa, quæ jam adſunt, toleret ac perferat, unde etiam ſtatim apparet *tolerantiam* & *patientiam* unum idemque propemodum ſignificare, niſi quod hæc paulo majorem voluntatis ad perferendum acceſſionem involvere mihi videatur.

§. II.

Specialem porro differentiam declaravit *Marſil. Ficinus* (c) hunc in modum: *Patientia ſola in bene patiendo conſiſtit, cum ceteræ virtutes in bene agendo verſentur: quid enim eſt bene pati, quam velle pati, quod, etiamſi nolueris, paſſurus ſis, & libens pati, quod invitum pati omnino neceſſum eſt.* Præcipuum vero diſcrimen ac *virtutis characterem* quaſi *patientiæ* exprimit *finis*, in definitione Ciceroniana commemoratus, nempe *honeſtatis aut utilitatis cujusdam aucupium*, ſine quo vix poterit ſuſtinere virtutis elogium qualiscunque *patientia.* Non enim quælibet cujuscunque rei adverſæ & moleſtæ perpeſſio voluntaria, nedum coacta, veræ virtutis ſpecimen conſtituit, niſi *laudabilem* ſibi propoſitum habeat *ſcopum*, addo etiam hoc, *niſi præter meritum adverſa quis patiatur.*

§. III.

(a) *De Invent. rhetor. Libr. II.* (b) *De Partit orat.* (c) *Epiſt. Libr. V.*

§. III.

His ita generaliter circa *notionem patientiæ* præfinitis, nunc tanto facilius determinare potero, *quousque illam Medico exercere conveniat.* Vix autem poſſibile eſſe arbitror, omnes atque ſingulas *occaſiones* ejus rei proſpicere, nedum brevi tractatione (qualem inſtitui) comprehendere; quapropter pauca ſaltem ſpecimina ê pluribus electa in medium proferam. Ne vero id ſine omni ordine exequar, cunctas *occaſiones* iſtas, ratione objectorum externorum *in tres* veluti *claſſes* aut *capita tria* diſpartiar, quatenus Medici interdum aliquid perpeti debent 1) *ab ipſis morbis & eorum cauſis accidentibusque:* 2) *ab ægrotis*, horumque non ſolum *corporis*, ſed *animi* præſertim *vitioſa diſpoſitione ac moribus:* 3) ab *adſtantibus*, ſive perſonis, quæ & ægrotantibus & medicis miniſtrant.

§. IV.

Ad *primum* igitur *ordinem* quod attinet, *morbos* nimirum, qui Medico ad curandum offeruntur, cum ſuis cauſis atque ſymptomatibus, poſſit equidem objici, in univerſum facilem fore *patientiam* circa tales res, quæ ſenſu carent, & ex neceſſitate quadam naturali, ac bruto quaſi modo quodam procedunt, quemadmodum permulta ſunt in omni vitæ genere hominibus peragenda, de quibus notum eſt axioma ſapiensque conſilium: *Noli negotiis iraſci, non moventur!* Aſt enim vero quotusquisque eſt mortalium, in cujus animum non obrepat quandoque indignatio, ubi præter ſpem, intentionem ac votum, rebus expediendis minus reſpondeat effectus? Atqui hoc frequentiſſime uſu venit in curatione *morborum natura contumacium*, ut quamcunque artificis induſtriam & ægrotantis obedientiam eludant. Et quamvis utraque pars in officio ſuo aliquandiu toleranter, ac mutuo veluti conſenſu perſeveraverit, non ceſſante tamen obfirmato affectu langueſcit ſenſim alterutrius patientia. Hanc vero ſibimetipſi conſervabit medicus, cogitando, novum id non eſſe, ſed accidere idem pluri-

 bus,

bus, impatientia nihil profici; bene cœptam autem morbi curationem perverti. Quandoquidem recte pronunciavit *Gregorius Magnus* (d) quod *impatientes, dum perturbationi ſuæ minime obſiſtunt, etiam quæ â ſe tranquilla mente fuerant bene geſta confundant, & improviſo impulſu deſtruant, quicquid forſitan diu labore provido conſtruxerant.*

§. V.

Quodſi igitur inveterati & contumaces affectus ſanandi occurrant, occurrunt autem omnino ſæpius, quotidianis teſtantibus exemplis *epilepticorum, aſthmaticorum, hypochondriacorum, ſcorbuticorum, hydropicorum, arthriticorum* &c. neque inſtituta rite methodus deſideratam opem protinus afferat, tunc juxta ſalutare *Hippocratis* (e) monitum, *omnia ſecundum rationem facienti* (Medico) *& non ſecundum rationem evenientibus, non transeundum ad aliud, manente eo, quod viſum eſt ab initio.* Egregie hanc ſententiam ſuo effato illuſtrat *Celſus* (f): *In longis morbis, quos tempus, ut facit, ſic etiam ſolvit, non ſtatim condemnetur, quod non ſtatim profuit: minus vero removeatur, ſi quid paulum ſaltem juvat, quia profectus tempore expletur.*

§. VI.

Singularem porro *patientiam Medici* requirunt *morbi, typum ſuum ſæpe mutantes, ac novis ſubinde ſymptomatibus ludentes, tum etiam qui ſemel depulſi reuertuntur, ac denuo inſultant*, quales vulgo *recidivæ* appellantur. In his ſane tractandis *patientem ſe gerere debet Medicus*, ne perturbato animo incaute mutet curandi rationem, aut laboris variandi, aut iterum inſtaurandi pertæſus, ægroti cauſam negligat aut perdat. Minime omnium deſerendus propterea eſt æger, quamdiu ipſe patientem ac morigerum ſe præbet, ac ne quidem *in morbis apparenter inſanabilibus.*

§. VII.

(d) *in Homil.* (e) *Sect. II. Aph.* 52. (f) *Lib. II. Cap.* 2.

§. VII.

Quamvis enim *Hippocrates* (g) hoc etiam ad artem pertinere ſtatuat, *eorum qui á morbis victi ſunt curationem non aggredi, cum in confeſſo ſit, quod Medicina tales ſanare non poſſit*: In quo aſſerto ille ſuffragantem ſibi habet *Celſum* (h): *Eſt prudentis hominis, eum, qui ſervari non poteſt, non attingere, ne ſuſpicionem ſubeat ejus occiſi, quem ſors ipſius peremerit.* Attamen non rari ſunt caſus *deſperatorum affectuum*, in quibus nihilominus opera medici deſideratur, quando extra ſpem recuperandæ perfectæ Valetudinis, æger *quantulamcunque prorogationem vitæ, aut doloris ſaltem aliarumve moleſtiarum mitigationem* efflagitat. Tunc ſane, ſi quid vel minimum præſtare in ſolatium petentis Medicus poſſit, recuſando id ipſum, vituperabilem proderet *impatientiam*, poſthabita nimirum *curatione palliativa*, quæ tamen utique officii Medici pars aliqua exiſtit.

§. VIII.

Tanto difficilius autem ab officio diſcedendum eſt Medico, quanto minus omnis ægrum conſervandi ſpes deficit: Perantiquo enim & vulgari dicterio, *dum anima ægroto eſt, ſpes eſſe dicitur.* Et profecto hinc tot empiricis orti ſunt triumphi, quod inſanabiles a Medicis judicatos, ac *per impatientiam* horum *derelictos ægrotantes* reſtituerint. Quare omnia ſunt tentanda prius, & *ubi aliquid ſæpius comprobatum non reſpondet, non tanti putare decet autorem, quanti ægrum, ſed experiri aliud atque aliud*, ſapienter admonente *Celſo* l. c. Ceterum in ancipiti caſu, eodem autore: *ubi gravis metus, ſine certa tamen deſperatione eſt, indicare convenit neceſſariis periclitantis, in difficili rem eſſe; ne ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe Medicus videatur.* Hac igitur ratione ſuam circa quoslibet morbos eorumque conditiones *æquam patientiam* declarabit, & ſervato ſibi ſuæque arti honore, declinabit omne opprobrium.

(g) *Lib. de Arte.* (h) *Lib. V. Cap. p. 26. Artic. 1.*

§. IX.

Similiter *in emendandis atque corrigendis morborum cauſis*, etiam *remotioribus*, ſæpiuscule opus eſt Medico *patientia*. Tametſi enim bene perſpiciat, quo *diætæ vitio aut errore* aliquis morbum ſibi contraxerit, illiusque concurſionem quantocyus avertendam eſſe intelligat, *non* tamen id *feſtinanter aut ſubito* ſemper moliatur, etiamſi conſentiente infirmo, ſed moderatione quadam utatur, præſertim circa *res â longo tempore conſuetas*. Tales enim, conſulente iterum *Hippocrate* (i) *oportet quidem mutare, aſt non ſtatim multum ac derepente, utpote quod naturae inimicum eſt; Quod vero paulatim fit, tutum eſt, tum alias, tum ſi quis ex altero ad alterum tranſeat*. Neque diſpar ratio locum habet in aufferendis *morborum ſymptomatibus*, aliquando licet *urgentibus* viſis, circa quae *longius toleranda* ſuam interdum exercere Medicus debet *patientiam*, nec protinus, quæ ſibimet ipſi & ægroto admodum moleſta apparent, confeſtim aggredi violenter, ſed expectare *ſedationis opportunitatem*, ne, dum ſymptomati *impatienter* occurrit, improvide repellendo, aut transferendo, aut etiam figendo peccantem materiam, ipſum morbum graviorem pertinacioremque reddat; ſicut innumerabilia fere *dolorum*, *hæmorrhagiarum aliarumque p. n. fluxionum*, *nec non tumorum* &c. præpoſtere & extraordinaria methodo curatorum *exempla* loquuntur.

§. X.

Sicut autem ea, quæ hactenus de *Patientia Medicorum*, *in reſpectu ad ipſos morbos eorumque cauſas & accidentia*, ſpeciminum quorundam loco attuli, *æquitatem* non modo, ſed & *neceſſitatem* illius evidentem ſatis reddunt, ita nollem ego videri cuiquam, quaſi patrocinium vellem ſtruere *cunctationi*, ab ignorantia & conſiliorum inopia profectæ, qualem certe inter virtutes nemo prudens numeraverit: Ut potius ipſe agnoſcam, non ſolum *inutilem* ſæpe, ſed *exitioſam* interdum fore, propte-

rea

(i) *Sect. II. Aph. 50. 51.*

rea haud immerito vituperatam a *Gedeone Harveo*, ſingulari tractatu, qui inſcribitur *Ars curandi morbos expectatione.* In hoc autor, acutiori licet ſtylo, recte perſtringit, ſecundum varias ſpeciales medendi rationes, *fictam illam medicorum Patientiam*, qua obtegere nituntur ſuam in facienda Medicina impotentiam. Quare opus omnino eſt *prudenti judicio circa ſtatuendos medicorum patientiæ limites*, in morborum diverſi generis curationibus, obſervato ſemper fine, ſalutis in ægroto, & bonæ exiſtimationis ſive honoris in artifice.

§. XI.

Quamvis autem plura poſſent adduci, *neceſſitatem patientiæ medicorum, in relatione ad morbos*, edocentia, tamen pleraque vix poterunt commemorari atque conſiderari ſufficienter, citra *connexionem cum Perſona ægrotantis*: Hinc ad *alteram claſſem objectorum*, circa quæ verſatur atque exercetur illa virtus. accedo. Eſt autem tanta illius amplitudo, ut non niſi pauciſſima depromere exempla, per temporis & oppellæ deſtinatæ anguſtiam mihi nunc liceat. Cum vero ſupra jam deſignaverim, *diſpoſitionem animi ægrotantium, ejusque affectus & mores* determinare ſpeciatim *medicorum patientiam*, præcipuum hujus fundamentum in hoc puto quærendum atque ponendum eſſe, quod *divus Apoſtolus Paulus* de ſemet ipſo affirmare non dubitaverit (l); *omnibus omnia factum ſe eſſe, ut omnino aliquos ſervaret.* Verum enim vero heic iterum diſtinguenda venit humana prudensque conformatio ab inepta & imprudenti adulatione, qualis non raro ſub larva *patientiæ* ſolet illudere. Debet igitur omnis *ad ægrotantem ejusque animi affectus atque mores accommodatio*, & hinc exercenda *patientia* pro cynoſura habere *emendationem valetudinis illius*, & *honeſtam medici inter homines exiſtimationem*: Quodſi enimunum ex

(l) 1. *Corinth. IX.* 22.

iis negligatur, ad vitioſum habitum prorſus inclinat oſtentata qualiscunque *patientia*, ſicuti jam ante dictum eſt.

§. XII.

Primum autem fere iſtius virtutis *ſpecimen erga ipſius ægroti perſonam* edet Medicus, *ſi* ad eum vocatus *patienter audiat de morbo ſuo conquerentem*, ejusque originem ac progreſſum, etiamſi interdum juſto prolixius, ediſſerentem. In hoc enim patientes plerumque magnum quærunt ſolatium, ſuamque de Medico bonam opinionem haud parum confirmant, ubi ſentiunt, *attente ac placide & cum miſericordia quadam* accipi ea, quæ ſcitu neceſſaria eſſe curaturo Medico judicant. Amplius augebitur fiducia & amor, ſi Medicus enarrantem ægrum quandoque comiter interpellaverit quæſtiunculis, ad declarandum morbi ſtatum facientibus, unde recordationem ſuam officioſe juvari perſuaſum habebit patiens, Medicus autem tali quæſtionum opportuno artificio haud parum adimet ſupervacuæ narrationi ac diſpendio temporis. Contra vero multi Medici quotidie delinquunt hac in parte, dum recuſant audire, quæ ipſismet ægris videntur eſſe neceſſaria ad pernoſcendam reram ſuarum conditionem: Hinc illæ frequentes querimoniæ: Der Doctor ſey ſo ungedultig/ höre den Patienten nicht recht an/oder laſſe ihn nicht recht ausreden und ſeine Noth genugſam klagen 2c. Ceterum licebit Medico, viſitandis pluribus ægris occupato, unius nimiam inutilemque loquacitatem modeſte prohibere, indicando illud, & propterea humaniter admonendo, velit ſaltem præcipua ægritudinis ſuæ phænomena & momenta, quæ ad cognitionem & curationem maxime pertinent, in præſenti exponere, reliqua totamque morbi hiſtoriam ſe libenter percepturum, cum proxime redierit.

§. XIII.

Longe vero majori *patientia* opus eſt Medico *in perferendis ſingularibus ægrotantium animi affectibus*, qui pro cujusque naturali temperie, tanto promptius ac vehementius erumpunt

punt, quanto facilius atque gravius concutere ſolent animi robur afflictiones corporis, cum inſigni moleſtia & dolore præſertim conjunctæ. Vix ullus autem affectus crebrior occurrit *timore*, quem *Cicero* (m) eleganter circumſcribit eſſe *metum mali appropinquantis, ipſum vero metum futuræ ægritudinis ſolicitam recordationem.* (n) Talis animi affectio ſicuti ſæpe multumque exagitat ægros, ac in deſperationem nonnunquam adducit, ita in corrigendo ac disſuadendo ſingularem *Medici patientiam* ac indefeſſum ſtudium requirit. Hic omnia ſolicite conquirenda ſunt argumenta, quibus in meliorem ſpem erigatur *meticuloſus æger*, ipſique perſuadeatur, non tam periculoſum eſſe morbum, ſed adhuc ſanabilem, iſto autem *intempeſtivo timore* & animi perturbatione plurimum impediri optatum curationis eventum. Idem fere faciendum dictitat *Celſi* ſententia (o): *Periti Medici eſt, non protinus, ut venit, apprehendere manu brachium*, (nempe pulſus explorandi cauſa) *ſed primum reſidere hilari vultu, percunctarique, quemadmodum ſe habeat æger, & ſi quis ejus metus ſit, eum probabili ſermone lenire, &c.* Quodſi vero ſentiat Medicus aliqualem ægroti erga ſe diffidentiam, non gravabitur aut ſuam dimiſſionem modeſte petere, aut ſuadere, ut unus pluresve alii prudentes viri ad conſilium convocentur; ceterum ſe non ſolum velle, ſed etiam poſſe, divino fretum auxilio recte perſequi curationem profiteatur.

§. XIV.

E contrario autem non pauci obveniunt *negligentiores ac rerum ſuarum minime ſatagentes*, quorum quidem *ſocordiam* non ſtatim verbis aſperioribus perſtringere, ſed leniter primum, deinde, ſi in ſua *incuria & negligentia* perſeveraverint, paulo ſeverius alloqui & ipſis demonſtrare convenit, quam graviter in ſalutem ſuam peccent, aut congruam victus rationem

 aut

(m) *Tuſc. Quæſt. p. m.* 213. (n) *L. c. p.* 238. (o) *Lib. III. Cap. VI.*

aut opportunam remediorum applicationem negligendo; imminere periculum vitæ, ac prætermiſſam ſemel occaſionem curandi, admodum difficulter, aut nunquam recuperari poſſe. Talibus iſti admonitionibus crebro excitandi ſunt *a natura imprimis ſocordes*, ad officium ſibimetipſis & obſequium Medico præſtandum, quod una aut altera exhortatione haud ſemper obtineri poteſt, tum maxime, quando æger contumaci laborat præjudicio, ſe non adeo periculoſe, ac Medicus exiſtimat, ægrotare.

§. XV.

Longe gravius vero negotium faceſſunt & *Medicorum patientiam* fatigant *iracundi patientes, revera omnium maxime impatientes*, qui protinus indignantur, quicquid dicitur, ſuadetur aut disſuadetur, quod cum ipſorum opinione & arbitrio non plane convenit. Hi ergo ſæpicule *faciunt quod volunt, curantur ut jubent, moriuntur ut debent!* Interim accerſitis Medicis crucem figunt, impudenter obloquendo, ipſorum dicta redarguendo, denique obſequium detrectando; cujusmodi injuriæ tanto atrociores emergunt, quanto ſapientior atque doctior ſibi eſſe videtur *impotens æger*; ut ſane vix moleſtiores experiantur Antagoniſtas Medici, quam iſtos naſutos ſciolos, hodie proh dolor! nimium frequentes, qui perfunctoria & rudi quorundam libellorum, de re medica divulgatorum, lectione, omnem ejus doctrinam ſibi jam acquiſiviſſe autumant: Cum talibus itaque multo operoſior, quam cum doctiſſimis quibusque viris inſtituitur diſputatio, quod illi vera principia ignorant, ac ſæpe negant, & male fundatarum opinionum ſuarum tenaciſſimi ſunt: Die haben läuten hören / aber nicht zuſammen ſchlagen.

§. XVI.

Adverſus ejusmodi objectationes & iniquas expoſtulatio-

nes

nes confirmabit Medicus *patientiam* ſuam, recte factorum conſcientia, & imperite obſtrepentium *generoſo contemptu*; quandoquidem ſapienter conſulente *Seneca* (p) *æquo animo audienda ſunt imperitorum convitia, & ad honeſta vadenti contemnendus eſt ipſe contemptus.* Sicubi autem opportunum videatur, præſentibus imprimis hominibus prudentia, probabiliter, & æquiori animo præditis, cum gravitate quadam, humanis tamen verbis, convenit tam caſtigare erroneas ægri opiniones, quam *intempeſtivæ iracundiæ* damnoſos effectus metuendos indicare. Apud illos vero, qui *vehementer irati, & animo ſunt impotenti*, præſertim autoritate inter homines ac potentia valentes, aliquandiu tacere omnino præſtat, quam multa obloqui, aut ea duntaxat regerere, quæ leniter poſſint redarguere inutilem exprobrandi libidinem, & incuſſo pudore ad ſilentium componere; Quemadmodum *Tacitus, in Senatu L. Metello maledicenti ſibi*, reſpondiſſe fertur (q): *Facile eſt in me dicere, quia ego reſponſurus non ſum: potentia ergo tua, non mea accuſanda eſt patientia.* Si quando etiam ad ipſas calumnias pervenerit *ægrotantis iracundia*, Medicus, bene ſibi conſcius, animi ſui affectum continebit, ea ſecum reputando, quæ *Xenophon*, maledicenti ſibi cuidam, *Tu*, inquit, (r) *maledicere didiciſti, ego conſcientia teſte didici maledicta contemnere.* Ceterum expectare juvabit occaſionem, ſine dubio ſuperventuram, qua liceat ſedato, atque erroris convicto ægrotantis animo ſaniora quævis perſuadere, quin & perpeſſæ iniquitatis deprecationem conſequi, & conſtantius poſthac obſequium ejus obtinere.

§. XVII.

Eſt autem aliud, non minus frequens ægrotantium genus, cum quo ſæpenumero colluctandum eſt *Medicorum patientiæ*, *faſtidio-*

(p) *Epiſt.* 76. (q) (r) *Vid.* Thom. Hibernici *Flor. Doct.* p.m. 714. & 15.

faſtidioſos intelligo illos, ac *delicatulos*, qui equidem confidunt Medico & ipſius imperio ſe ſubjiciunt, propoſita tamen iſta difficili ac dura conditione, ne quid remedii aſſumendum vel applicandum offerat, quod ipſis ingratum ſit. Sub hac vero conditione latent exceptiones innumeræ ſaporis, odoris, coloris, formæ externæ, conſiſtentiæ & quantitatis, quibus liberaliter admiſſis, in eas quandoque anguſtias Medicus adigitur, ut, quid demum præſcribere poſſit, vix inveniat: Indem die Artzney nach nichts ſchmecken / noch riechen / auch keine beſondere Farbe haben / und auf einmahl nicht viel ſeyn / und doch gleich helffen ſoll. Et facilius quidem toleranda eſſet unius duntaxat odoris, ſaporis &c. exceptio, cumprimis *idioſyncraſia* quadam ægroti intercedente, ad quam utique omni cura ſe accommodare Medicus debet; nonnunquam vero plures ſimul affectiones excluduntur, quæ a remediorum apparatu neceſſario abeſſe vix queunt, etiam formæ externæ reſpectu: Der eine kan keine Pillen / der andere kein Pulver / der dritte kein Tränckleín einnehmen ꝛc. Quamvis autem circa *delicatulorum* hujusmodi præjudicia inepta Medici poſſent uti *autoritate ſua*, quali olim *iſti ab Æſculapio oriundi*, *Galeno* (s) teſte, *uſi ſunt*, *qui tanquam Duces militibus*, *& Reges ſubditis imperaverant*, magis tamen conſultum eſt dare aliquid impotenti laborantium præjudicio, & quantum poſſibile eſt, devitare illa, quæ ſibi eſſe ingrata ipſi præmonent; quod ſane in hodierna medicæ materiæ copia & amplitudine, & compoſitionum varietate, non adeo arduum ſemper erit: Quodſi vero quædam penitus omitti nequeant, odore aut ſapore gravia, e. g. Caſtorina, camphorata, amara, ſalſa &c. quocunque poſſibili modo velare ac involvere, aut abſolutam aſſumendi neceſſitatem oſtendere, quin etiam denique *prægustando* faſtidium lenire & eludere conveniet.

§. XVIII.

(s) *Lib. I. Meth. med. C. I.*

§. XVIII.

Poſſem alius inſuper ægrotantium indolis, *patientiam Medici* laceſſentium meminiſſe, *curioſorum* ſcilicet, qui quidem curanti fidem habent, ac ſine multis exceptionibus obediunt, attamen vix quicquam admittere volunt, citra explicationem, atque redditam ſibi rationem. Verum enim vero talibus non admodum difficulter ſatisfieri poſſe exiſtimo, ſi Medicus eruditus, ac vel leviter facundus, ſe ad ſingulorum captum declarando accommodaverit. Neque injuria hoc depoſcunt interdum patientes & conſilio utentes, præſertim ipſimet eruditi; Quemadmodum de *Ariſtotele* relatum legitur (t) quod cum is morbo aliquando detineretur, & Medicus ei præceptum quoddam injungeret: *Ne*, inquit, *me cures vel ut bubulcum, vel ut foſſorem, ſed prius cauſam ediſſere; Sic enim facili perſuaſione morigerum me reddideris.* Interdum vero ſuam in ſciſcitando & exquirendo curioſitatem eo usque protendunt ægroti, ut Medicus iisdem ſatisfacturus ab aliis æque neceſſariis aut majoribus negotiis abſtrahatur: quo caſu coërcere comiter licet importunam quærentis curioſitatem, ac reſpondere ad præcipua breviter, ad reliqua deſideratam explicationem differre in tempus aliud opportunum, ſervata ſic nihilominus *patientiæ integritate & laude.* Quodſi ſeorſim remediorum præſcriptorum materiam curioſe nimis inveſtigare velit æger, ſufficiet nominaſſe contenta quædam potiora, aut jam cognita ipſi, aut facile cum notioribus, quoad ſuas qualitates & effectum, comparanda: quædam vero, niſi ante compoſitionem, & in hujus actu expoſita oculis, explicatu nimium difficilia eſſe, dicendum eſt.

§. XIX.

Reſtat, ut *qualem quantamque patientiam Medicus erga adſtantes exercere debeat*, quibusdam ſpeciminibus edoceam. Indicavi autem jam in §. III. quod iſto nomine ſignificatas velim

quas-

(t) *Ælian. Libr. IX. var. hiſt. Cap. XXIII.*

quaſcunque perſonas, quæ & ægrotantibus, & Medicis, in curando miniſtrant. Et prioris quidem ordinis ſunt *cognati atque amici, nec non domeſtici & famuli, quotquot præſentes curam patientis gerunt.* Ad ipſum vero Medicum proximius pertinent *Pharmacopæi & Chirurgi eorumque miniſtri atque tyrones.* Circa illos, qui *proprie adſtantes ægroti* vocantur, multiplex occaſio *patientiam* exercendi offertur Medico. Sæpe enim ſunt in univerſum *valde imperiti, & rerum ad decumbentis regimen neceſſariarum penitus ignari.* Tales non ſine magno labore & *patienti ſtudio* erudire ac inſtituere Medicus tenetur, donec probe intelligant, quid non ſolum præſente ipſo, ſed longe magis abſente, ſingulis, pro ægrotantis ſalute, peragendum ſit. Interdum ſemel iterumque diligenter inſtructi declinant oſcitanter ab officio, ut ſubinde ad hoc melius obſervandum denuo admoneri debeant. Hic ſane pro *avertenda indignatione* opus eſt, ut ſecum reputet Medicus *Platonicum* iſtud: *non nocet bis dicere* (imo ſæpius) *quod bene* (ac neceſſario) *dicitur.*

§. XX.

Sunt ex adverſo inter *adſtantes, qui nimis ſibi ſapiunt,* ac Medicorum monitis aut non indigere putant, aut varias adhibere correctiones ſuſtinent, præſertim ſi crebram ac diuturnam ſuam circa ægros plures alios occupationem oſtentare queant. Talismodi hominum, præcipue *ſequioris ſexus, protervitatem* coërcere tanto difficilius eſt, quanto faciliorem aſſenſum, autoritatis præjudicio, invenire ſolent, tum apud ægrotos ipſos, tum apud reliquos adſtantes. Quare Medicum ſumma ope niti decet, ne illico vehementer iis ſeſe opponat, ſed potius qualescunque ratiunculas eorundum magna animi moderatione exquirat, quas illi, confidentiores redditi, plerumque ſingulari quadam cum garrulitate effutiunt. Inde vero vix poteſt fieri, quin Medico, hactenus *patienter auſcultanti,* ampla

ſuppeditetur occaſio, ex præmiſſis & conceſſis ad abſurdum non unum concludendi, & inaniter obſtrepentes tandem liberaliter deridendos propinandi. Licebit etiam, ubi pervicacius obniti pergant quidam *adſtantes*, provocare ad eventum rei, humaniter ſaltem præmonendo, ne quid tunc male cadens ſibi imputetur.

§. XXI.

Occurrunt præterea alii, *nimium officioſi*, haud quidem directe contradicentes vel obnitentes præceptis Medicorum, attamen de ſua induſtria ſubinde aliquid amplius adjicientes, augendo v. g. Medicamentorum doſin, aut crebriorem ſuadendo ipſorum aſſumptionem, aut victum liberalius ſubminiſtrando, aut caloris externi regimen intendendo, &c. Ejusmodi *officioſum ſtudium* in obſervando & adjuvando ægroto, generaliter quidem laudare convenit, ſimul autem in eo excedentibus ſignificare comiter, modum eſſe ſervandum, nec obruendam naturam multitudine ac frequentia auxiliorum; ſe ipſummet ſatis tempeſtive admonere velle, ſi quid augendum vel addendum videatur. Major adhuc *lenitas & patientia Medicorum* requiritur circa *timidos adſtantes*, ac de ſuorum ægrotantium ſalute *nimium ſolicitos*, præſertim parentes, conjuges, fratres, ſorores, quorum affectui amoris utique eſt indulgendum aliquid, ſi in *condolendo & lamentando* modum tranſierint. His igitur concedi quidem debet, quod juſtam habeant triſtitiæ ſuæ & ejulatus cauſam, præſertim ſi periculoſo in ſtatu verſetur æger; mox tamen quærendum & afferendum eſt ſolatium, aſſeverando, aut magnam convaleſcendi opem ſupereſſe, aut certe non exiguam; ſe Medicum porro adhibiturum omnia, quæ in poteſtate hominum ſita ſunt, & alios æque graviter laborantes feliciter ſublevarunt. Præterea ſuam quoque *commiſerationem* ſerio teſtatus, admoneat immodice lamentantes, ut & ſuæ parcant valetudini, & ægrotantis animum ne nimium excrucient atque

fran-

frangant continuo ejulatu ſuo ; unde non poſſit non vehementius debilitari, jam ſat diminutum vi morbi, corporis robur.

§. XXII.

Quod vero ad *alterum genus hominum, qui inter adſtantes quoque referuntur*, attinet, *pharmacopœos*, puta, *& chirurgos eorumque miniſtros*, circa hanc turbam tanto rariorem habet locum *patientia Medicorum*, quanto communius eſt, quod eandem ſua inſolentia, aut ruditate, aut temeritate ſoleant laceſſere ; ut ſæpius aperto marte potius ipſis obniti, quam concedere multum ac indulgere deceat. Sicubi tamen in officio quisque ſuo ſe ſatis promptum & obedientem Medico præbuerit, hic leviores quosdam forte commiſſos errores *patienter ferat*, modeſte corrigat, præſertim in junioribus necdum ſufficienter exercitis. Horum tarditatem omni qua poteſt ratione juvet, timiditatem leniter caſtiget, confirmando animum dubium, & ad recte agendum conſilia ſua humaniter ſubminiſtrando.

Durum : ſed levius fit patientia,
Quicquid corrigere eſt nefas.

TANTUM!

NOBILISSIMO ATQVE CLARISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

IO. IACOBUS BAIERVS D.

& Prof. Med. Primarius

h. t. Decanus.

SI quis ærumnoſam eorum, qui medicinam multitudini hominum facturi ſunt, conditionem ſecum reputaverit, is haud difficulter in ipſos, ſano ſenſu, quadrare perſpiciet, quod NVMEN DIVINVM prædixerat Apoſtolo PAVLO (*) : Ego oſtendam illi, quanta oporteat eum pati! *Hoc, licet de moleſtiis, animi potius quam corporis, Eccleſiæ præſertim propagandæ cauſa ſuſcipiendis, pronunciatum appareat, optandum tamen eſt, ut omnes, qui Arti medicæ ſtudium ſuum dicarunt, tempeſtive ac ſapienter præmeditentur*, quanta unumquem-

(*) *Act. VIIII, 16.*

quemque in ſuo genere pati oporteat, *non ſolum corpus labore vario, ſed & animum diverſis curis & ærumnis afflictura. Sic fore exiſtimo, ut impotentiores aliqui, tantarum moleſtiarum certa expectatione, a propoſito mature deterreantur, reliqui ad ſuſtinendas easdem rectius præparentur. Quare non poſſum non probare Tuum,* Clariſſime *DN. CANDIDATE, inſtitutum, quod neceſſariam adeo iſtam Medicis virtutem, PATIENTIAM*, Inaugurali Diſſertatione Tua *declarandam Tibi ſumpſeris.* Patienti *& aſsiduo labore a nobis accepiſti omnem diſciplinam artis medicæ. Hanc, cum propediem ad uſum traducere contendas, Divino auxilio proſpere proceſſuram eo firmius præſagio, quo magis perſpectum habeo animum Tuum, non tantum doctrina, ſed & modeſtia, humanitate &* Patientia *inſtructum atque exornatum. Deus Te ſervet! Dab. ex Muſeo a. d. VI. Calend. Quintil. A. S. R. cIↄIↄcc XXIIII.*